



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum hæc sit conueniens forma consecrationis panis, Hoc est
corpus meum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

substat. nam licet hæ intentiones non necessario coniungantur, tamen se inuicem compati possunt; potest ergo sacerdos velle per actionem suam & prolationem verborum significare Christum in vltima cœna consecrasse materiam sibi præsentem, & se in eius personâ circa præsentem materiam id facere.

Ex dictis patet cur sacerdos in for-na consecrationis dicat, *meum*, & non, *Christi*, quia videlicet in personâ Christi consecrat.

ARTICVLVS II.

Virum hæc sit conueniens forma consecrationis panis, Hoc est corpus meum?

D. Thom. vt patet ex corpore, videtur potissimum id querere propter copulam, *est*, vtrum videlicet conuenienter forma ita pronuntietur, *hoc est*, cum potius videretur dicendum *hoc sit*?

Respondet autem affirmatiue, patet ex Euangelistis & liturgijs, in quibus forma semper ita ponitur. Confirm. hoc modo optimè significatur effectus formæ consecrationis, nimirum existentia corporis Christi sub speciebus; ergo.

DVBIVM I.

Virum ad valorem formæ necesse sit aliqua verba præcedere?

SCOTVS dist. 8. quæst. 2. §. de secundo dico, censet sola hæc verba, *hoc est corpus meum*, essentialiter pertinere ad necessitatem consecrationis; alia tamen necessariò præmittenda, sine quibus non fieret consecratio, quia sine illis non potest haberi, quod hæc verba, *hoc est corpus meum*, dicantur in personâ Christi. necessariò ergo præmittenda hæc verba: *Qui pridie, quàm pateretur &c.* Scotum sequitur Angelus verbo *Eucharistia* 1. nûm. 24. Sed Doctores communissimè contrarium tenent, ita que Resp. & dico, prædicta verba ita esse sufficientia, vt si cum legitimâ intentione super materiâ legitimâ proferantur, fiat consecratio, & corpus Christi ponatur sub speciebus.

Probat 1. in omni Sacramento verba requisita, & sufficientia ad substantiam, & essentiam formæ sufficiunt ex parte formæ, vt illud ponatur; si ergo, prout fatetur Scotus, prædicta verba sufficiant ad substantiam & essentiam formæ consecrationis, ex illius parte sufficient vt fiat consecratio, quamuis alia omittantur: ex quâ ratione patet videri repugnare, quod dicit Scotus. Confirm. aliquid sufficere ad substantiâ formæ nihil est aliud, quàm illo posito, sepositis etiam alijs, inueniri formam legitimam; vt autem forma in Sacramentis sit legitima, verba debent saltem per intentionem ministri habere significationem conuenientem Sacramento, ergo si prædicta verba ponantur forma consecrationis, debent omnibus alijs præcisis posse habere significationem necessariam, vt fiat consecratio, & proinde non pendere ab alijs in huiusmodi significatione, vnde si aliqua oratio in suâ significatione dependeat ab alijs verbis, dicendum est illa verba non minùs esse essentialia formæ, quàm alia, cum sint necessaria, vt oratio idoneam fortiatur significationem.

Probat 2. Scotus ideo censet prædictis verbis

non perfici consecrationem, nisi alia fungantur, quia forma debet proferri in personâ Christi, atqui proferri potest, quamuis alia verba non præmittantur, nam verba possunt determinari per intentionem ministri volentis illa in personâ Christi proferre, vel etiam ex intentione conficiendi Sacramentum, quo casu vult minister proferre in personâ Christi, videri potest D. Thom. articul. 1. D. Thom. ad 4.

Probat 3. Concil. Flor. non obscurè id insinuat, quod scilicet forma huius Sacramenti sint verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum: inde enim habemus 1. sine illis verbis, *Qui pridie, quàm pateretur &c.* Sacramentum confici, cum ea verba non sint Saluatoris. 2. non obscurè habemus illa verba, *accipite & comedite*, non requiri ad consecrationem, cum etiam secundum Scotum non pertineant ad substantiam formæ.

Ex his deduco si sacerdos certus sit se illa verba protulisse, quamuis ex inaduertentiâ, vel aliâ ratione præcedentia prætermiserit, validam esse consecrationem, nec posse eum consecrationem etiam sub conditione iterare.

Ex dictis non difficulter solui possunt quæ in confirmationem suæ sententiæ adfert Scotus, quod scilicet verba sacramentalia debeant significare id quod efficitur vi Sacramenti.

Respondetur enim optimè significare, cum sacerdos in personâ Christi intendat consecrare, & proinde pronomen, *meum*, possit referri ad personam Christi, siue aliqua verba præcedant, siue non.

Sed Obijciunt Ambr. qui lib. 4. de Sacramentis cap. 5. tradens verba cœlestia, quibus hoc Sacramentum conficitur, ponit illa: *accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum quod pro multis confringetur.*

Resp. certum esse etiam secundum Scotum non omnia relata verba requiri ad perficiendam consecrationem, cum illa verba: *quod pro multis confringetur*, non ponantur in nostrâ liturgiâ; non est ergo quod dicamus illa: *accipite, & comedite*, esse necessaria. quod ex ipsomet Ambr. probari potest: nam lib. de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 9. ait:

Ipse clamat Dominus Iesus: hoc est corpus meum & ante benedictionem verborum cœlestium. Ita species nominatur, post consecrationem corpus significatur. quibus verbis declarat benedictionem, quâ Christi corpus in hoc Sacramento ponitur, esse illa sola verba: *hoc est corpus meum*. idem colligitur ex Emiseno homilia

in Dominica palmarum: *dixit tunc per se, dicit & modo per suos ministros, hoc est corpus meum, & tanta est eius verbi virtus, & efficacia, vt statim fiat, quod dicitur.* Damas. lib. 4. cap. 14. dicit Deus: *hoc est corpus meum &c.* atque omnipotenti eius præcepto, donec ipse veniat, efficitur: Ex quibus & alijs colligi potest consecrationem perfici prædictis verbis, licet nulla addantur, adde quod illa verba: *accipite, & comedite*, designent vsum, qui est extra rationem Sacramenti, & proinde, quamuis à Christo fuerint prolata, nullo modo requiruntur ad valorem formæ, nec concurrunt ad consecrationem huius Sacramenti, etiam quando præmittuntur.

Aduerte tamen illa non posse absque graui peccato prætermitti, vt docet D. Thom. art. 1. ad 4. quia pertinent ad ritum quendam, quo Ecclesia repræsentat Christi actionem, & dicta in vltimâ cœnâ.

Coroll.

Satisfit argumentis Scoti.

Obiectio ex Ambr.

Resp.

Ambros.

Emiseno.

Damas.

Non possunt tamen prætermitti, quia præmittuntur, omitti sine graui peccato.

DV BIVM II.

Utrum hæc forma, hoc est corpus meum, sit necessaria, ut fiat consecratio?

19.

Hæc, vel æquivalens est necessaria.

Corollaria.

Varij modi æquivalentes.

Forma falsa est si dicitur: Hoc corpus est meum.

Significatio formarum in sacramentis petenda est ex vlu communi.

20.

Illud, non idem significat quod vox, Hoc, nec designat præsentem materiam.

Non valet si dicas: Hoc fit corpus meum.

Nec: Hoc fiat corpus meum.

Resp. eam vel æquivalentem esse necessariam, patet ex Evangelistis, beato Paulo & liturgiis, in quibus hæc forma ponitur. item ex sensu Ecclesiae, quæ semper eam formam usæ est, ergo illa est legitima, ergo necessaria, cum in Ecclesia non dentur duæ formæ alicuius Sacramenti, non æquivalentes sensu.

Ex quibus deducitur 1. particulam *hoc*, non posse omitti, & si etiam inculpatè omittatur, non confici Sacramentum. patet, nisi ponatur, non potest demonstrari quidquam, quod sit corpus Christi. idem de alijs vocibus dicendum.

Deducitur 2. non solum singulas voces ponendas, sed debere poni eo modo, ut ingenerent sensum, quem ingenerat prædicta oratio: unde cum ingeneretur idem sensus, siue dicatur: *hoc est corpus meum*, siue, *hoc est meum corpus*, siue, *hoc meum corpus est*, siue, *hoc meum est corpus*, ut habet Apostolus 1. ad Corinthios 11. in textu Græco &c. omnibus illis modis valide perficitur consecratio. esset tamen peccatum voluntariè formam ita mutare contra communem usum Ecclesiæ.

Nullò modo fieret consecratio si diceretur: *hoc corpus est meum*, nã in formam consuetam corpus meum designat corpus Christi quod illum constituit in ratione hominis, tanquam pars; cum verò dicitur, *hoc corpus est meum*, designatur quoddam corpus quod demonstratur sit sub dominio vel potestate Christi; non autem, quoddam sit eius pars, atque ita non est idem sensus utriusque orationis.

Dices ex intentione dicentis potest designare corpus, tanquam partem.

Resp. hoc non sufficere, quia significatio formarum in Sacramentis petenda est ex vlu communi, saltem in talire sacra, cum formæ sint præscriptæ communitati; cum ergo vlu communi particula, *meum*, ita posita, idem significet quod à me possessum, sub meo dominio positum, vel saltem, tanquam extrinsecum me respiciens; hæc propositio, *hoc corpus est meum*, communi iudicio non æquivaleret huic, *hoc est corpus meum*, & proinde non est forma legitima, quantumvis aliquis particularis intendat idem significare per utramque propositionem.

Quia in formis Sacramentorum non tam attenditur externus verborum sonus, quam sensus, forma sensu æquivalens prædictæ, est valida. unde quocumque idiomate proferatur, potest perfici consecratio; hinc si loco *hoc*, ponatur, *hoc sensibile*, conficietur Sacramentum; non tamen conficietur si ponatur, *illud*, quia pronomen *illud* non habet idem significatum cum particula, *hoc*, nec ex vi suæ significationis designat præsentem materiam. valet etiam, si dicatur: *hæc res est corpus meum, hic cibus &c.* non tamen si dicatur: *hic panis*, quia falsum est, quoddam panis sit corpus Christi.

Quia verbum, *est*, significat corpus esse sub speciebus, non potest valide fieri consecratio si dicatur: *hoc fit corpus meum*, quia per illam formam non tam designatur esse, quam fieri. vide D. Thom. in corpore & alios. nec etiam hæc forma est legitima: *Hoc fiat corpus meum, hic panis convertitur in corpus meum, hic ponatur corpus meum*, immò neque hæc:

hoc fit corpus meum, quia non designatur quoddam corpus fit sub speciebus, sed dicitur, ut sit. Item apud formæ in Latinos non est legitima forma, *hoc corpus meum*, valida, quia apud illos non videtur in simili formam loquendi vitare subaudi, *est*, & proinde prædicta forma non æquivaleret communi.

Dixi apud Latinos, quia apud Græcos forma est legitima cum apud illos, sicut apud Hebræos, facile subaudiatur, *est*. Confirm. ex formæ consecrationis calicis apud Lucam, in qua, in Græco deest verbum.

Dubitari potest num loco, *corpus*, possit poni, *cavo*, dicendo: *hæc est cavo mea*. ita videtur insinuare author sermonis de cena Domini. item Ioannis 6. dicitur *cavo mea* verè est *cibus*, & ita censet Estius dist. 8. §. 11. versu Porro, & indicat Vasquez disp. 199. cap. 4. num. 30. & 31. sed Doctores communiter censent talem formam non valere, quia vox, *cavo*, ex suâ significatione, & vlu communi non æquivaleret voci, *corpus*, cum, corpus, dicat aliquid constans carne, ossibus, nervis &c. Confir. in hoc Sacramento ex vi verborum non ponitur sola *cavo*, sed etiam alia iam relata; igitur vox, *cavo*, non adæquat significatū vocis corpus, & eius, in quod panis convertitur, & proinde non potest loco vocis, *corpus*, valide substitui, videturque hæc in parte recedendū ab autore sermonis de cena Domini, ad id quod ex Ioannis 6. adfertur

Resp. Christum ibi non tradidisse formam Sacramenti, nec æquivalens formæ, sed solum dixisse carnem esse animarum cibum in ordine ad vsum, cum homines carne vesci soleant.

Ex hoc deduci potest loco, *corpus*, non posse valide substitui, *substantia*, dicendo, *hæc est substantia mea*, quia nomen, *substantia*, non adæquat significatum nominis *corpus*. Loco, *meum*, non potest poni, *Christi*, cum sacerdos formam pronuntiet in personam Christi, & proinde debeat poni pronomen primæ personæ.

Petes 1. utrum particula, *enim*, sit necessaria ad substantiam & valorem formæ?

Resp. negatiue, patet ex liturgia Divi Iacobi, Basilij, Chrysostomi, in qua omittitur hæc particula in consecratione panis, & quamvis ponatur in nostrâ, non fit, quod iudicetur necessaria, sed solum propter continuationem sequentium verborum cum præcedentibus. Est tamen nonnullum peccatum eam particulam in Ecclesiâ latinâ prætermittere, quamvis non videatur mortale, ut censent varij.

Dices, hæc particula ex propositione absoluta facit causalem, & proinde mutat sensum.

Resp. neg. mutare sensum formæ per se intentionem; nam sensus formæ est, quoddam sub speciebus existat Christi corpus, qui sensus remanet siue addatur particula, *enim*, siue non addatur.

Petes 2. quomodo prædicta forma sit legitima, cum non ponat obiectum, scilicet corpus, sed supponat sub speciebus positum? quemadmodum qui dicit *Ioannes est homo*, ut verè enuntiet, debet supponere Ioannem esse hominem.

Resp. neg. assumptum, quia propositio prædicta non debet obiectum supponere, sed sufficit si in prædictis his verbis, *et mea uxor* ijs enim tanquam signo expressivo consensus sit vxor in fine orationis. pro quo

Notandum ad veritatem propositionis non semper requiri, ut obiectum supponatur, antequam finiatur oratio; sed ex conditione prædicati, vel

vel intentione enuntiantis pendere, pro quo tempore sit censenda vera; in praesenti ergo dicendum cum minister intendat per huiusmodi formam ponere corpus sub speciebus, ad veritatem propositionis non requiri ut obiectum praesit, sed ut in fine propositionis ponatur. Confr. copula respiciens duo extrema & illa coniungens, id facit iuxta extremorum exigentiam, vel intentionem proferentis: unde non semper debet obiectum esse, quando ponitur copula, sed potest significatio suspendi usque ad praedicati pronuntiationem, ut si quis velit alteri dare librum his verbis: *hic liber est tuus*, positio obiecti, seu quod liber sit alterius, potest suspendi usque ad finem orationis, de hac propositione, Ioannes est homo, aliter est indicandum, cum ea sit merè speculativa, & in materia necessaria, quæ proinde, ut sit vera, supponit obiectum.

ARTICVLVS III.

Utrum si hæc conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis mei &c?

AFFIRMAT, patet quia per illa verba aptè designatur existentia sanguinis Christi sub speciebus vini.

Notandum 1. quòd, quemadmodum supra diximus valde fieri consecrationem panis, licet nulla alia verba praemittantur; ita in praesenti dicendum valde consecrari calicem, quamuis non dicatur, *Smiti modo &c.*

Notandum 2. hæc verba: *hic est calix sanguinis mei*, vel æquivalentia ita requiri, ut sine illis consecratio fieri nequeat: sufficit verò forma, à quolibet Evangelistâ, vel ab Apostolo relata. nã quamuis nesciatur præcisè, quibus verbis Christus consecravit calicem, & Evangelistæ quoad verba variè formam referant, quia tamen idem est sensus verborum, prout communi vñ accipiuntur, quidquid sit de rigore logico, idcirco valde perficitur consecratio per formam à quouis Evangelistâ relata. hinc valida est forma: *hic est sanguis meus*, quæ habetur apud Matth. & Marcum, in liturgia sancti Iacobi, Basilij, Chrysostomi. similiter hæc, *hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo*, ut habet Lucas. item: *hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, ut habet Apostolus 1. ad Cor. 11. similiter nostra: *hic est calix sanguinis mei*, quia omnes vñ vulgari censentur idem significare. nam communi vñ ostenso poculo, in quo est vinum, censetur velle idem dicere, siue dicamus: *hoc est vinum*, siue: *hoc est poculum vini*. Valide etiam fiet consecratio si dicatur: *hoc poculum*, vel: *hic calix est sanguis meus*, vnicuique tamen seruandus est ritus propriæ Ecclesiæ, nec licet absque graui peccato ab eo recedere. his suppositis

D V B I V M.

Utrum ea sola verba: hic est calix sanguinis mei, vel æquivalentia, sint de essentia formæ consecrationis vini?

IN nostrâ liturgia prædictis verbis adduntur: *novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quibus verbis significatur quòd calix conti-

neat sanguinem, quo sancitur nouum Testamentum, duraturum in perpetuum, & quo conceditur ius ad æternam hereditatem, qui quæ effundetur pro multis, id est omnibus, in remissionem peccatorum, quod fide cognoscitur, estque magnum fidei arcanum.

Controuersia est num hæc adiectio ad rationem formæ pertineat?

Prior sententia asserit, ita D. Tho. hic in corpore, quamuis enim non vtatur nomine essentia, sed substantiæ, sumit tamen substantiam pro essentia, sicut in materia Sacramentorum sumi solet, cum quaeritur, num aliquid sit de substantiâ formæ, vel materiæ: & in hoc sensu eum sequuntur plures Doctores, Pal. dist. 8. quæst. 3. art. 2. Rich. eadem dist. art. 3. quæst. 2. Sylu. verbo *Eucharistia* 1. quæst. 6. dicto 4. & alij.

Probat D. Thom. 1. omnia prædicta verba eodem ritu, & modo super calicem proferuntur. adde in Missali iisdem maiusculis litteris designari; ergo est signum omnia ad essentiam formæ pertinere. 2. prædictis verbis, *hic est calix &c.* à beato Luca interponuntur hæc verba: *novum Testamentum*. 3. verba: *novi & æterni &c.* sunt quædam determinationes prædicati, id est *sanguinis Christi*, cum per illa denotetur virtus sanguinis effusi in passione, & proinde videntur ad rationem formæ pertinere. Addi potest, quòd in Flor. in decreto Eugenij sub finem, ut refertur in summâ Conciliorum, ita dicitur: *Tradidimus, quòd in consecratione corporis Christi hæc vteretur forma Ecclesiæ Romana: hoc est enim corpus meum, hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. 2. addi potest Concil. Colonien. parte 7. cap. 14. 3. in catechismo Pij 5. hæc omnia ponuntur pro formâ.

Posterior sententia docet sola prædicta verba: *hic est calix sanguinis mei* vel æquipollentia esse essentialia formæ consecrationis calicis. tenet Magister dist. 8. Bonau. eadem d. parte 2. art. 1. quæst. 2. Dur. quæst. 2. Maior quæst. vnica §. *Eucharistia autem*. Gabriel lectione 53. in canonem Littera B. Vid. de Eucharistia numer. 74. Caiet. hic, Sotus dist. 11. quæst. 1. art. 3. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 19. §. *tamen tertia*. & plurimi alij tam antiqui, quàm recentiores.

Hæc sententia est omnino verior. Probat 1. constat in nullâ liturgiâ, præterquam in Romana, omnia relata verba contineri; nam in liturgia sancti Iacobi ita habetur: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum*. in liturgia sancti Basilij: *hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. eodem pene modo habent aliæ liturgiæ, in quibus omittuntur illa verba, *æterni, mysterium fidei*; immò in liturgia Æthiopum omittitur: *novi Testamenti*; ergo signum est non omnia verba nostræ liturgiæ esse de essentia formæ, cum absque temeritate dici nequeat hos sanctissimos Patres, eorumque Ecclesias non habuisse legitimam formam, & per consequens nunquam calicem consecrasse, atque adeò non habuisse legitimum sacrificium. Confr. fuisse intolerabile, quòd Ecclesiæ non habens formam legitimam non fuisset à Latinâ edocta de veritate, cum ea errores Græcorum non soleat dissimulare, ut patet ex Concilio Lugdunensi, Flor. & alijs. immò etiam hoc tempore Græci Romæ antiquâ formâ vtuntur; signum est ergo Ecclesiâ Latinam censere eam sufficientem, & quod inde sequitur,

non

Prior sententia asserit. D. Thom.

Palud. Rich. Sylu.

Suadetur hæc sententia à D. Thom.

Posterior negat. Magist. Bonau. Dur. Maior. Gabr. Caiet. Sot. Alan.

26. Hæc sententia præfertur.

Græci Romæ antiquâ formâ vtuntur.